POSTILLA-

TIO IOAN. BVGENHAGII POmerani in Euangelia, usui temporũ & Sanctorũ totius anni seruientia, ad preces Georgij Spalatini scripta.

HABES HIC ET CONCIONVM & meditationum copiosissimam sylluam, quisquis es cui cordi est pietas.

*

ARGENTORATI APVD IO. CNOB.

POSTILLA

TIO IN EVANGELIA, VSVI temporum & Sanctorum totius anni seruienta.

In die Paschæ.

Euangelion Marci ultimo.

Valde mane una sabbatorum &c.

1 Hic de fructu resurrectionis dicendum est, quod ipsius resurrectio, sit nostra iustificatio. 1. Cor. 15. Ro. 4. & 6. cap. Et quod cernẽtes eum resurrexisse, nostrã fidem confirmant, O mors ero mors tua. &c.

2 Hæc ratio humana non credit, ideo eunt emptum aromata, unctuæ corpus.

3 Omnia fiunt à mulieribus humano more, & ideo exprobrat eis incredulitatem.

Secunda feria Paschæ.

Euangelion Lucæ ultimo.

Duo ex illis ibant. &c.

1 Sic sumus omnes affecti, ut isti duo discipuli, si nobis relinquimur, dum in malum præsens respicimus, nõ in dei uerbum, quæ est diffidentia. O stulti & tardi corde ad credendum.

2 Reuocati ad uerbum, ardentius quidem accendimur interpretatione, sed tamen primum cognoscimus

Christum, cum frangit nobis panem sui uerbi, singulorum cordibus ipse doctor apponit.

3 Verbum dei accēdit cor fide, fides producit charitatē, quæ cogens etiā dicit: Mane nobiscū domine &c.

Tertia feria Paschæ.

Euangelion Lucæ. 24.

Stetit Iesus in medio &c.

1 Pax uobis, ego sum, nolite timere. Hic est fructus passionis & resurrectionis Christi, pax nostra. cognitio Christi, fiducia. &c.

2 Nemo desperet quod non satis fidat, Christus dicit. Nolite timere &c. Ipsi uero contra turbantur.

3 Hanc infirmitatem, ut alia, fert in suis Christus, & reuelat uerbo & signis, sicut adhuc Euangelio & sacramentis facit.

4 Scriptura de Christo morituro & resurrecturo, fructum uero prædicationis spiritualis uitæ, & resurrectionis peccatorum in omnes gentes per nomen ipsius, & per nihil aliud esse.

Quarta feria Paschæ.

Euangelion Iohannis. 21.

Manifestauit se iterum Iesus &c.

1 Labore et sudore uultus uult nos uiuere dominus, ccirco talibus apparet, non Pharisæis in templo.

Officijs charitatis uult cognosci dominus. 2. Pet. 1. satagite &c. uiuentibus sibi absconditur.

3 Allegoria, Nocte nihil prenditur Christo. i. prædicatione legis & operum. Paulus: Nox præcessit. Mane, id est, cum cœperit corda nostra spiritu reuelari, apparet requidem, sed uerbo cognoscitur esse dominus, & triumphator legis, peccati, mortis & inferorum. Roma. 13.

4 Eadem est fides sanctorum, non eadem opera, omnes enim ueniunt ad Christum: sed alius pedes, alius naugio &c.

5 Attende quod omnes per tribulationes ueniunt, quæ aquæ dicuntur in scripturis. Psal. Quoniam intrauerunt aquæ, usq; ad animam meam. Psal. 66.

In Octaua Paschæ.

Euangelion Iohannis. 20.

Cum sero esset factum &c.

1 Defectus fidei in discipulis. Metuunt (ut omnes quotquot non sunt spiritu confirmati) & prætereà Thomas non credit.

2 Sine manifestis signis non credunt, sed beati qui non uiderunt & crediderunt.

3 Signa unde ipse cognoscatur, ostendit. In tribulatione & cruce disces Christum.

4 Pax nostra est fructus resurrectionis.

5 Sicut Christus missus est, ita & nos mittimur. Nemo ergo speret sine cruce glorificari.

6 Potestatem ligandi & soluendi habent uere Christiani, id est, quibus est Christi spiritus.

7 Hæc autem scripta sunt &c. Hic uides quæ scripsit Iohannes satis esse ad fidem, & ubi fides sit, illic esse uitam per mortem Christi, uana est ergo doctrina quæ non est Euangelica.

Dominica Misericordias domini.

Euangelion Iohannis. 10.

Ego sum pastor bonus &c.

1 Christus solus pastor est, Pascit autẽ uerbo, sicut dicit Petro, ut credant, ut uiuant, alia sunt uenenum.

Ioan. 21. 2 Christus sollicitus excubat pro ouibus suis, consolatio magna, de qua loquuntur Prophetæ.

3 Christus ut solus pastor est, ita solus nouit qui sint sui, quem oues in uerbo cognoscunt.

4 Vna quidem uox est. i. uerbũ Christi, sed diuersa uocatio, uocat enim nominatim, hunc sic, alium aliter.

5 Traditiones humanas hic pastor non nouit, cuius

Ioan. 18. regnum non est de hoc mundo.

6 Qui sua quærunt, in tentatione non persistunt, dum frustrantur, eo quod sua quæsierant.

Dominica Iubilate

Euangelion Iohannis. 16.

Modicum & iam non uidebitis me.

1 Fides uera tentatione probatur. Tunc enim uidetur Christus abesse.

2 Amarior fit tentatio, quod deus aduersarijs uide

tur fuere, mundus gaudebit &c.

3 Consolatio ex uerbo, Fidelium tristitia temporaria est, lætitia æterna, Infidelium gaudium temporarium, tristitia æterna.

5 In omni tribulatione & aduersis solemur nos hac similitudine: Mulier cum parit, tristiciam habet.

Dominica Cantate.

Euangelion Iohan. 16.

Vado ad eum qui me misit.

1 Christi regnum est spirituale, non externa administratio, ergo fiduciam carnis aufert, ut spiritu possit regnare in cordibus credentium.

2 Caro uult sine cruce glorificari.

3 Spiritus sanctus arguet mundum .i. omnia nostra mortificat & damnat, peccatum, iusticiam, iuditium.

4 Ergo sine spiritu, nobis nostra placent, & manemus in damnatione, quacunque sanctitate & sapientia uideamur aliquid esse.

5 Spiritus docet omnia quæ scire oportet, profecto non alia quàm quæ Christus docuit. Docuit Christus, sed uerbum sine spiritu non intelligitur. Suggere: &c.

6 De peccato quia nō credit. &c. Ergo sola incredulitas uere peccatū est, reliqua sunt huius radicis fructus.

7 De iustitia, quia ad patrem uado &c. Regnū non externum auspicaturus. Et iam non uidebitis me &c. quia regnum meum non est de hoc mundo, ut confun-

datur totus mundus, per spiritum, quod munaum ponit iustitiam in externis.

8 De iudicio &c. Quod mundus non iudicat & cõdemnat, sed probat Satanam iam iudicatum, id est, cuius regnum iam iudicatum est, errore detecto.

Dominica Vocem Iocunditatis.

Euangelion Iohannis. 16.

Quicquid petieritis patrem &c.

1 Promissio. Non solum promittit, sed & iurat nos exaudiendos, sed per se mediatorem, sacerdotem.

2 Petendum autem hoc, ut habeamus pacem per fidem Rom. 5. quod est gaudium plenum.

3 Hæc in prouerbijs &c. Hactenus meum uerbum non potuistis capere, omnia uidebantur uobis esse prouerbia, & obscura quædam. Veniet tempus ut cum dedero spiritum, quando per spiritum meum palàm loquar. i. aperte in cordibus uestris ea quæ patris mei sũt. Summa. sine spiritu non intelligitur uerbum. In illo die. s. accepto spiritu. Ecce nunc palàm loqueris &c. Præsumptio est, non intelligentium uerbum.

In die Ascensionis.

Euangelion Marci ultimo.

Discumbentibus undecim &c.

Euangelion hoc exponunt contrà Euangelij historiam, in quo quidam offensi, putant quædam non scripta à Marco, sed error est & indiligentia. Marcus scri

bit summam illorũ quæ gesta sunt, à resurrectione usq; ad inuulgatum mundo Euangelium. Nouissime, non in die Ascensionis, sed in uespera dieiresurrectionis, post apparitionem in Emaus, Lucæ. 24. Iohan. 20. Et dixit eis alio die, in monte Galileæ. Euntes in mundum &c. Math. ultimo. Et dominus quidem Iesus postquàm locutus est eis, scilicet, die quadragesimo. Act. 1. Illi autem profecti sunt, scilicet, post acceptum spiritum &c.

1 Fidei tarditas & imperfectio in sanctis, est nobis magno solatio.

2 Prædicate Euangelion, non aliud, omni creaturæ, non solum Iudæis, sed & Gentibus, principibus &c.

3 Euangelion audire uanum est, nisi credas. oportet esse Theodidactos. Esa. 52.

4 Ad infidelitatem relaberis, nisi iugiter baptiseris igni & spiritu sancto. s. usq; ad nouissimum diem.

5 Signa ad infidelitatem data sunt, ut per hæc ostẽderetur mundo, hoc esse uerbum dei quod prædicatur domino, inquit, cooperante &c.

6 Signa facta sunt, & iam beatificamus dei Apostolos, ergo non opus est signis, ut sciamus eorum uerbum esse dei.

7 Sed audimus, habent Mosen & Prophetas, habẽt Christum & Apostolos, illos audiant.

8 In spiritu tamen hæc omnia signa sunt, usq; ad cõsummationem mundi. Euangelio eijcitur princeps tenebrarum cum suis serpentibus Gen. 3. cap. Noua con

sessio auditur in conuersis. Et si quid infidelitatis nobis inciderit, protinus uerbo fugabitur, ut discamus non fidere nobis. Et præterea credentes aliorum infirmitatibus & compatientur, & medebuntur.

9 Christus uisibilem speciem hinc abstulit (sic enim expediebat) ut doceret regnum suum non esse in elementis mundi huius. Colossen. 3. Si consurrexistis cũ Christo &c. ut scilicet, regnaret in cordibus credentium, & sacerdos esset in æternum apud patrem pro nobis.

Dominica Exaudi.

Euangelion Iohannis. 15.

Cum uenerit paracletus, quem &c.

1 Spiritus ueritatis dicitur, quia ueraces nos facit, sine quo omnis homo mendax est. Quid ergo liberum arbitrium, & doctrinæ humanæ? Spiritu dei inspirati locuti sunt Prophetæ & Apostoli. 2. Pet. 1.

2 Ille testimonium &c. Rom. 8. Spiritus testimoniũ reddit. Spiritus intus, uos uerbo foris.

3 De scandalo crucis et stultitiæ Christianæ prima Corinthiorum primo capite.

In die Penthecostes.

Euangelion Iohannis. 14.

Si quis diligit me &c.

1 Si quis diligit &c. In hoc uerbo te contemplare nũ credas. Dilectio & fides non separantur.

2 Veniemus &c. Templa dei sunt credentes, uncti

spiritu. Psal. 49. 1. Iohannis 2. cap.

3 Sermo Christi non est carnalis, sed potentia dei, Romanorum primo:

4 Paracletus docet omnia, non foris audita prædicatio, quæ est tantum ministra spiritus.

5 Hinc somniant nostri, quod spiritus reuelat multa alia ecclesiæ, præter Euangelion Christi: Quæcunq; inquit, dixi uobis, non alia.

6 Pacem quæ est nobis in Christo per fidem iustificatis, & mundus & princeps mundi impugnat. Rom. 5.

7 Vt cum factum fuerit credatis. Cum abiero ingruet uobis tentatio & persecutio. Tunc hæc uerba sint uobis solatio. Quæstio Augustini nihil est in loco.

Feria secunda Penthecostes.

Euangelion Iohannis. 3.

Sic deus dilexit mundum &c.

1 Dilexit nos in dilecto filio suo ante mundi constitutionem Ephe. 1. Ergo sicut Christus perire non potest, ita neq; nos, modo per fidem simus in Christo Roma. 8: Qui proprio filio suo. &c.

2 Non misit &c. scilicet, nunc. Nam post non dicitur mitti, sed uenire ad iuditum, sicut ubiq; legis.

3 Caro iuditum dei iguorat, sicut & iusticiam dei. Non uidet incredulos ianuam esse damnatos.

4 Hoc est iuditum &c. Vide hic quid sit Iohannis 16. Arguet mundum de iuditio.

5 Vide hic opera bona esse fructum lucis fidei, mala tenebrarum .i. infidelitatis & hypocrisis.

Feria tertia Penthecostes.

Euangelion Iohan. 10.

Qui non intrat per ostium &c.

1 Solus Christus pastor, ostium, ostiarius, habet uerbum uitæ, reuelat patrem.

2 Alij qui ueniunt .i. qui nõ intrant per ostiũ nõ habentes uerbum uitæ, fures sunt & latrones quærentes sua, docentes iustitiã humanam & mandata hominum.

3 Oues Christi, solius Christi uocem agnoscunt & sequuntur.

4 Vocat nominatim .i. alios sic, alios aliter, nouit de us qui sunt sui. Non est eccles. a quæ gloriam mundi sequitur, & in mundo magnificatur.

Feria quarta Penthecostes.

Euangelion Iohan. 6.

Nemo uenit ad me &c.

1 Non cognoscitur Christus nisi patre trahente, id est, intus docente. Matth. 16. Caro & sanguis &c.

2 Christus est lignum uitæ, à quo prohibitus est Adam. Est sapientia dei. Prouer. 3. præciosior est &c.

3 Manna uetus .i. iustitiæ legis non iustificabant. Christus creditus uiuificat in æternum

Dominica Trinitatis.

Euangelion Iohannis .3. cap.

Erath

Erat homo ex Phariſæis &c.

1 Egregium hic eſt exemplum ſapientiæ, rationis et ſtultitiæ Chriſti, ſiue iuſtitiæ Chriſti, ſiue iuſtitiæ ſpũs.

2 Vir ſapiens & inculpatus arguitur, quod quæ dei ſunt, ignorat, qui nihil minus ſperauerat.

3 Iuſtitiã legis putat aliquid eſſe. Chriſtus docet iuſticiam eſſe regenerationem .i. carne mortificari. 1. Cor. 2.

4 Quomodo poteſt &c. Ratio humana comprehẽdere non poteſt, iuſtitiam dei ſtulticiam iudicat.

5 Sic eſt omnis &c. Ergo occulti ſunt ſpirituales, & à carne non agnoſcuntur. Quid ergo nobis cũ pompa eccleſiaſtica?

6 Quod natum eſt &c. Hic omnia noſtra quanti ſumus damnantur.

9 Nemo &c. Oſtendit ſe per ſtulticiam crucis cum ſuis glorificandum.

In die Corporis Chriſti.

Euangelion Iohannis. 6.

Caro mea uere eſt cibus &c.

1 Satis ex textu conſtat, hoc de ſacramento panis ac uinii non dici, ſed de fide. Qui credit Chriſti carnẽ & ſanguinem pro ſe traditum, is edit & bibit in ſpiritu ſine ceſſatione, quia nunquã ceſſat credere. Hoc modo indigne nunquam editur & bibitur Chriſtus. Imo nõ poteſt aliter edi & bibi, niſi digne .i. per gratiam & uitam æternam. Sacramentum multi indigne edunt. 1. Cor. 11.

2 Qui credit in me &c. Exponit quid sit edere & bibere.

3 Ego sum uita eius, sicut pater est uita mea.

4 De differentia mannæ & huius panis, uide supra feria quarta Penthecostes.

Dominica prima post Trinitatis.

Vide sermonem Martini Lutheri de Diuite & Lazaro. Lucæ. 16.

Dominica secunda post Trinitatis.

Euangelion Lucæ. 14.

Homo quidam fecit cœnam magnam.

1 Ad grãtiam Euangelicã uocantur multi, prædicatione uerbi, uenirent multi, sed timent suis commodis.

2 Villam aut iuga boum emere & uxorem ducere non sunt peccata, sed peccant qui propter hæc nolunt uenire ad cœnam.

3 Hi non dicuntur rapere aliena, sed emere sua, nõ scortari & adulterari, sed ducere uxorem. In speciem cuiusdam & optimi uiri, sed sine timore dei & fide.

4 Iudæi qui uidebantur legis obseruatores, primũ inuitati sunt. Deinde qui in Iudæa erãt publicani, meretrices & peccatores ueniunt. Tertio gentes perditißimi peccatores extra Iudæam.

Dominica tertia post Trinitatis.

Euangelion Lucæ. 15.

Erant appropinquantes &c.

1 Fides peccatorum, id est, qui sese aguoscunt.

2 Murmur pharisæorum, id est, qui sibi iusti sunt.

3 Euangelij natura.

4 Charitas dei commendatur, in Christo nos peccatores reducentis.

5 Iustitia per solum Christum est. Ouis se reducere non potest. Drachma se reinuenire non potest. Contra liberum arbitrium.

Dominica quarta post Trinitatis.

Euangelion Lucæ. 6.

Estote misericordes &c.

1 Credentibus misericordiam mandat. s. non iudicare, non condemnare, donare peccata & iniuriam.

2 Sic nomine fratris reddet nobis deus, sicut fecimus fratribus. Simile alibi: Recipient uos in æterna tabernacula. Lucæ. 16.

3 Iudicium hominum contra fratres, non solu esse iniquum, sed etiam impium, meram hypocrisin.

De Euangelio quintæ dominicæ post Trinitatis, lege sermonem Martini Lutheri de festo Petri & Pauli.

Dominica sexta post Trinitatis.

Euangelion Math. 5.

Nisi iustitia uestra.

1 Iustitiam dei esse per fidem, hoc est, cordis iusticiã,

externa iustitia quantucunq; speciosa, pharisaica est.

2 Arborem bonam uult dominus, sine qua fructus boni non sunt.

3 Iustitia Pharisaica est, Non occidere manu, licet iraſcaris interim corde. Iustitia Christianorū, non iraſci quidem. Hic semper necesse est, ut postulemus ueniam a deo, cognoſcentes nos peccatores, id quod ad hāc iustitiam pertinet.

4 Sine reconciliatione fratris, nihil acceptum deo, Et uel hinc diſcant nostri, quæ sint opera bona, quæ deus magnificauit.

Dominica septima post Trinitatis.

Euangelion Marci. 8.

Cum turba plurima &c.

1 Misereor &c. Repetendum est Matth. 6. Scit pater uester quod his indigetis. Locus contra tentationem de uictu.

2 Vnde? &c. Diffidentia sanctorum quā legimus, nos solatur, ne desperemus propter imbecillitatē fidei.

3 Si hæc recte intueremur, contra omnem rationis dispensationem fieri, cogitaremus. Non te deseret deus forte duos dies uicturum, qui te triginta annis abunde pauit.

4 Omnis creatura dei bona est. si cum gratiarum actione sumatur, sanctificatur enim per uerbum. 1. Timoth. 4.

Dominica

Dominica octaua post Trinitatis.

Euangelion Matth. 7.

Attendite à falsis Prophetis &c.

1 Doctrinæ dæmoniorum in hypocrisi, loquentiū mendacium. 1. Timoth. 4.

2 Speciem habentes pietatis, uirtutem eius abnegantes. 2. Timoth. 3.

3 Confitentur se nosse deum factis autem, quibus tribuunt iusticiam negant, Titum. 1.

4 Magistri mendaces qui introducent sectas perditionis. 2. Petri. 2.

5 Sed nihil opertum, quod non reueletur. Matth. 10 Insipientia eorum erit nota omnibus hoībus. 2. Tim. 3.

6 Hodie fructus uidemus, deo aperiente nobis oculos. Nihil est quod hæc exponant de crassis peccatis, De his dicit, Qui ueniunt in uestimentis ouium, & dicunt, domine domine &c. Matth. 7.

Dominica nona post Trinitatis.

Vide Sermonem Martini Lutheri de Mamone.

Dominica decima post Trinitatis.

Euangelion Lucæ. 19.

Cum appropinquaret &c. Fleuit.

1 Hoc Euangelion docet nos fidem & charitatem & admonitionem. Fidem in eo quod præscribit nobis Christum qualis sit, uide Zachariæ. 9.

2 Christus suæ laudis oblitus, quæ offerebatur fidē ti super asinum, flet mala uentura populo Charitas.

3 Tempus uisitationis suæ non cognoscunt, qui iam prædicato Euangelio non suscipiunt Christum, hinc pereunt. Admonitio hæc est.

4 Et hodie, quid aliud est ecclesia, quàm domus negociationis? omnia uenduntur nobis, etiam ipsa remissio peccatorum.

Dominica undecima post Trinita.

Euangelion Lucæ. 18.

Ascendebant in templum duo homines.

1 Lucas sua præfiuncula declarat parabolam.

2 In pharisæo uides exemplum illorum qui fidem non habent, & suis operibus se iudicant sanctissimos.

3 Publicanus sine omni merito per solam fidē (qua soli deo tribuit iusticiam, & non diffidit de pietate benigni patris) iustificatur.

4 Vnde parabola ostendit nos, sola fide iustificari, absq; omnibus operibus & meritis.

Dominica duodecima post Trinita.

Exiens Iesus. Marci. 7.

1 Fides aliena offert dæmoniacū Christo, ut et ipse expulso dæmone possit credere.

2 Sic fides aliena mihi subuenit, ut propriam det mihi Christus fidem. Sic pro Turca oramus.

3 Fide iustificatus audit uerbum, & ore confitetur Christum, Fructus noui hominis. Roma. 10

4 Et præcepit &c. Declarat se non suam gloriam quærere.

Dominica decimatertia post Trinita.

Euangelion Lucæ. 10.

Beati oculi &c.

1 Videbant discipuli & audiebant carne, & mente intelligebant utrunq;, non est datum ueteribus sanctis, qui etiam in carne & uidere & audire cupiebant id quod spiritu præuidebant, Pharisæi uero qui uidentes & audientes non intelligebant. Esaiæ. 6.

2 Quid faciendo &c. Populus legis de operibus legis interrogat, lex dilectionem cordis requirit.

3 Diliges &c. Hæc lex nos omnes damnat.

4 Proximus est, quicunq; egenti potest benefacere.

5 Si quid supererogaueris &c, Stulti hinc confirmant humanas traditiones, sed frustra. Duo denarij sunt quos supra dixi, uinum & oleum, id est, lex et Euangelium. Quid enim aliud pro cura ægroti committetur famulo quàm quibus ipse usus fuerat? Aut certe sunt fides et charitas, quæ sola prædicanda sunt. Iam stulti Episcopi supererogare uolunt, qui nondum erogauerunt.

6 Supererogare non est præceptum ijs, & traditionibus onerare ægrotum. Quid enim stultius? Sed fidele consilium dare, ubi manifestum non habes dei uerbum, sicut Paulus fecit. 1. Corinth. 7.

Dominica decimaquarta post Trinita.

Vide Sermonem Martini Lutheri.

Dominica decimaquinta post Trinita.

Euangelion Matth. 6.

Nemo potest duobus dominis seruire &c.

1 Qui uolunt diuites fieri &c. 1. Timoth. 8.

2 Laborandum est, sed cura & sollicitudo deo relinquenda. Exemplum agricolæ, qui postquàm omnia fecit, expectat à deo fructum & messem. Omnes sic tentantur.

3 Qui omnia uestit & nutrit, quorum ipse creator est, magis nos uestiet & nutrict, quorum præterea etiam pater est.

4 Gentes sunt, non Christiani, qui deo non confidentes, suam prouidentiam, statuunt sibi.

5 Hoc tantum contendite precibus à deo, ut sitis per fidem filij eius, & hæc omnia adijcientur à patre, filij non proudent sibi, sed pater ipsis. Magna consolatio.

Dominica decimasexta post Trinita.

Euangelion Lucæ. 7.

Ibat Iesus in ciuitatem Naim.

1 Charitas sui obliuiscitur, & miserias sentit proximi. Ita hic Christus uiduam hanc sibi induit.

2 Allegoria. Concupiscentia ex Adam, nos continue fert in sepulchrum, tenens usq; in mortem, hic nullum remedium est nisi misericordia Christi, huius tactu,

in corde cessat impetus ille, huius uoce, id est, uerbi prædicatione, quod efficaciter tangit cor, mortui reuiuiscimus in suam gloriam.

Dominica decima septima post Trini.

Euangelion Lucæ. 14.

Cum intraret Iesus in domum cuiusdam &c.

1 Bene sentit hydropicus de Christo, Ecce fidem.

2 Christus miseretur, Ecce charitatem.

3 Opera bona sunt, seruire proximo.

4 Charitas dispensat etiam de manifesta lege dei, Non sic hypocritæ sentiunt.

5 Sabbatum illud carnis, sabbatum Christianum significabat, Esaiæ. 56. Hebræ. 4.

6 Omnes inuitati sumus ad dei gratiam, sed Pharisæi sedent in primo loco per hypocriticam sanctitatem.

Dominica decimaoctaua post Trinita.

Euangelion Matth. 22.

Pharisæi audientes &c.

1 Hæc duo mandata nos damnant, tantum abest, ut lex iustificet.

2 Solus spiritus ea implet. Ergo quicquid est nostrũ, aduersum est legi dei.

3 Si omnia in dilectione consistunt: Ergo opera non iustificant, sed sola fides. Felix qui habet eam.

4 Christus deus est & homo, filius & dominus Da-

uidis. Ergo solus inter deum & hominem mediator est. 1. Timoth. 2.

Dominica decimanona post Trinita.

Euangelion Matth. 9.

Ascendens Iesus in naviculam &c.

1 Alicna fides offert quidem peccatores, sed fides propria mox exigitur, Confide inquit.

2 Mundus & caro, sua sapientia iudicant contra Euangelium, non creditur per Christum remißio peccatorum.

3 Externa miracula quæ uidentur, interne sanationis & remißionis peccatorum signa sunt.

4 Certi sumus, per Christum nos habere remißionem peccatorum ex promißione, qua uera est, & ex potestate, quia deus est. 2. Timoth. 1.

Dominica uicesima post Trinita.

Euangelion Matth. 22.

Loquebatur Iesus cum discipulis in para. &c.

1 De nuptijs Ephe. 5. Iudæi contemptores, occisores, contemnuntur & occiduntur.

2 Tales sunt homines omnes natura, si sibi permittantur.

3 Extra erant gentes, id est, mere peccatores hi introducuntur, Sed hinc ejicitur populus solo nomine Christianus. Non habet uestē nuptialem, qui fidē non habet, qua sola istæ nuptiæ celebrantur, quam uestem amiserunt primi parentes, sua nuditate confusi &c. Fides

tegit omne quicquid ex Adam est. Beati quorum remissæ sunt iniquitates &c. Psal. 31.

Dominica uicesima prima post Trini.

Euangelion Iohan. 4. cap.

Erat quidam regulus &c.

1 Exemplum in quo uides, quo proficiat imperfecta fides, modo non cesset orare.

2 Liberatio à tentatione. Confirmatio est fidei ad persistendum in tentationibus futuris.

Dominica uicesima secunda post Tri.

Euangelion Matth. 18.

Simile est regnum cœlorum &c.

1 Summa, per misericordiam dei dimitti omnia peccata quantumcunq; grauia.

2 Nihil uero dimitti ei, qui non dimittit fratri. Matth. 6.

Dominica uicesima tertia post Trinita.

Euangelion Matth. 22.

Abeuntes Pharisæi &c.

1 Caro semper quærit liberationem carnalem per Christum. Sic isti expectabant, ut Messiæ manu à Romano iugo eriperentur, sicut nostri gaudent se carnaliter liberari à pontificibus.

2 De potestate gladij. Cui honorem, honorem, quia numisma Cæsaris exhibent, ipsi testantur se subditos. sed tamen sic, ut quæ dei sunt, deo. Sic etiam in Ro. 13.

Dominica uicesima quarta post Trini.

Loquente eo ad turbas &c.

1 Christus uenit ut mortem tollat.

2 Opus Christi rident, tubicines, id est, sapientia & iusticia mundi.

3 Præconium fidei, in mulierecula tangente fimbriam Christi.

Mar. 5. 4 Vide in Marco. Magistri misere hanc afflixerũt, sed semper deterius habuit.

5 Allegorice. Christus sit resuscitaturus synagogã, & interuenit populus gentium. Ad hoc est copiosa scriptura in Paulo & Prophetis.

Dominica prima post Epiphaniæ

Euangelion Lucæ. 2.

Cum esset Iesus annorum duodecim.

1 Ascendunt Hierusalem sancti Maria & Ioseph

Gala. 4. &c. Quid igitur prosunt legis operæ?

2 Christus præfert uocationem diuinam parentibus, fit subditus. Christus factus est sub lege, & parentibus obedit, quatenus diuina uocatio sinit.

Dominica secunda post Epiphaniæ.

Euangelion Iohannis. 2.

Nuptiæ factæ sunt &c.

1 Christus sua præsentia confirmat nuptias.

2 Exemplũ est hic orandi. Maria quanquã repulsa, tamẽ non desistit fidere, sed iubet fieri quicquid præce-

plurimum esset Christus. Vide fidem mulierculæ.

3 Signum confirmatio Euangelij. Christus præsto est nostræ necessitati & corporali & spirituali.

Dominica tertia post Epiphaniæ.

Euangelion Matth. 8.

Cum descendisset Iesus de monte &c.

1 Domine si uis &c. Fides resignat se uoluntati diuinæ, & tamen accedit.

2 Christus tetigit leprosum contra legem. Lex uiolanda propter charitatem.

3 Nemini dixeris &c. Euangelion non gloriatur, sed est uerbum crucis, patitur ignominiam.

4 Ostende te sacerdotibus, scriptura perhibet testimonium Euangelio.

5 Centurio sentit uerbo confici sanitatem. Verbū nihil requirit, contra eos, qui carnaliter consolari uolūt.

6 Filij regni eiciuntur, id est, populus operum non consequitur iusticiam, Roma. 9. & 10.

Dominica quarta post Epiphaniæ.

Euangelion Matth. 8.

Ascendente Iesu in naui.

1 Imbecillitate Apostolorū consolatur nostram imbecillitatem:

2 Omnes tribulationes sunt probationes fidei.

3 Christus dormire uidetur, non statim adiuuat, ut confirmet fidem.

4 Christo omnia subiecta sunt. Ideo credamus, etiã si nullum appareat consilium euadendi.

Dominica quinta post Epiphaniæ.

Euangelion Matth. 11.

Confiteor tibi pater &c.

1. Cor. 2. 1 Ratio non capit Euangelium, ideo cum in sapientia mundi, & in iusticia mundi quærat salutem non inuenit.

2 Paruuli qui nec sua sapientia, nec sua iusticia fidunt, sed credunt.

3 Sicut soli paruuli consequuntur salutem, ita non cognoscitur pater, nisi Christus ostendat, hoc est, nostra sapientia non cognoscit, sed quando fide in cruce eruditi sumus, tunc discimus potentiam dei. Ideo & postea consolatur eos qui crucifiguntur, dicens: Iugum meum suaue est &c. Matth. 11.

Aliud Euangelium Matthæi xiij.

Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari &c.

Hoc totum Euangelium discernit administrationem Euangelicam à ciuili. Euangelion spargitur in omnes, siue corde percipiant, siue contemnant. Gladius autem punit externa crimina.

Vide sermonem Martini Lutheri de gladio.

Dominica Septuagesimæ.

Euangelion Matth. 20.

Simile est regnum cœlorum &c.

1 Summa Euangelij est, Gentes æquantur Iudæis, id est, populus sine operibus æquatur populo operum.

2 Quia populus operum, tanquam debitum poscit, ideo reijcitur, quãquàm accipiat ea quæ promissa sunt ceges, Nam Iudæi acceperunt promißiones carnales.

Dominica Sexagesimæ.

Euangelion Lucæ 8.

Cum turba plurima conueniret.

Non est humani meriti sanctificatio, sed gratiæ seminantis, quia nisi ille semen afferret, nõ iustificaremur.

2 Euangelion non intelligunt, nisi quibus deus reuelat.

3 Euangelion operatur crucem, ideo ait: Afferunt fructum in patientia, superiores omnes scandalizantur cruce ideo excidunturque eijciuntur.

Dominica Quinquagesimæ.

Euangelion Lucæ. 18.

Assumpsit Iesus duodecim discipulos &c.

1 Exemplum ignorantiæ Apostolorum, quia caro scandalizatur cruce, quæ tamen comitatur Euangelion, ut supra.

2 Exemplum orandi, Quanquàm enim cæcus prohibeatur, tamen pergit orare.

3 Fides saluum fecit, Hæc gloria fidei est, quam hic adimit operibus.

Dominica Inuocauit.

Euangelion Matth. 4.

1 Nemo Christianus, nisi tentetur.

2 Christus uicit pro nobis, translata in se imbecillitate nostra.

3 Prima tentatio de uictu est, uincit autem cõsolans, eó quod de uictu sollicitis dictum est in Deuteronomio, Non in solo pane. Deut. 8.

4 Secunda tentatio, de tentando deo, id est, si uictus diuinitus datur, ergo non laborabo. Estq; tentatio de prædestinatione contra fidẽ. Si prædestinatus fueris, saluaberis &c. Si non, quid speras? &c.

5 Tertia tentatio blasphemiæ est, quia quando uicimus, tunc cæro incipit gloriari in bonis suis & se pro deo habere.

Dominica Reminiscere.

Euangelion Matth. 15.

Egressus Iesus succeßit &c.

1 Summa, non est personarum acceptor deus, fides requiritur, hæc impetrat quiduis. Rom. 2.

2 Fides misericordiam implorat, sed modum, tempusq; exauditionis committit deo, nihil diffidens.

3 Non diffidit, etiam si deus negare uideatur, etiam si aduersari uideatur. Hæc est tentatio fidei magna.

4 Non diffidit, etiam si tentetur de prædestinatione, quasi ad gratiam filiorum non pertineat.

Exemplum hoc habes, uod deus non uult nos so-

licitos esse de prædestinatione, sed ut fidamus etiam in peccatis & morte. Hæc est fides magna.

Dominica Oculi.

Euangelion Lucæ. 11.

Erat Iesus eijciens dæmonium. Ioan. 8.

1 Nullus liberatur à regno principis tenebrarum, nisi per Christum lucem.

2 Hanc gloriam hodie multi blasphemant, dicentes esse hæresim non à deo. 2. Cor. 2.

3 Ex fructibus, à nobis cognoscitur opus tenebrarũ, & opus lucis. Non conuenit luci ac tenebris.

4 Quia deterius habent qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis siue contrariæ persuasionis recedunt. Lege locum. 2. Petri. 2.

5 Factum est &c. Christus gloriam carnis nõ agnoscit, ne in matre quidem sanctissima uirgine. Exemplo ergo Christi, uirtutem uerbi prædicare deberent, qui nihil nisi laudes uirginis garriunt.

6 In Beelzebub &c. Vide in Euangelistis hoc esse peccatum in spiritum sanctum, de qua re scripsi.

Dominica Lætare.

Euangelion Iohannis. 6.

Abijt Iesus trans mare Galileæ.

1 Hic locus tentationi de uictu medetur, atq; ita etiam alijs.

2 Ratio uictum sperat humano more. Ideo Andreas

dicit: Quid hæc inter tantos?

3 Sic in iustificatione, iustificare se quærit ratio humano more, sed fallitur.

Dominica Iudica.

Euangelion Iohan. 8.

Quis ex uobis arguet me de &c.

1 Impietas pharisaica credere uerbo dei nõ potest, etiam si episcopus sit irreprehensibilis, & uita & doctrina.

2 Gloria dei quam cœli enarrant, iudicat blasphemiam & stultitiam, Psal. 18.

3 Gloria Christiani, est ignominia crucis. Roma. 5. Verbum dei est uita æterna, si seruetur. Quid ergo nobis cum traditionibus humanis?

4 Quem uos dicitis &c. Vide hic fictam fidem distingui à uera, Impij dicũt tantum, et non norunt deum.

5 Ego sum &c. Hic locus aperte testatur diuinitatem Christi.

6 Abscondit se &c. Omnia sunt in manu dei, & nihil accidit nobis ante horam nostram, utcunq; sæuiant aduersarij, cum autem uenit hora nostra, sciamus esse bonam patris uoluntatem, ut cruce glorificemur.

¶ De sanctis.

In festo Andreæ.

Ambulans iuxta mare &c. Matth. 4.

1 Verbum Christi efficax est spiritu, ut non solum

omnia, sed & te relinquas:

2 Verbum humanum uanum est, Nisi Christus faciat piscatores, id est, mittat prædicatores à se doctos.

In die conuersionis Pauli.

Ecce nos reliquimus omnia &c. Matth. 19.

1 Non solum intellige de nouissimo iudicio, sed etiã de iudicio spiritus in hac uita, quod cœpit in spiritualibus, accepto spiritu, confirmatoq; regno Christi.

2 Non sunt hic carnales sedes fingendæ, Qui abnegat semetpsum, hic habet iudicium spiritus, quo dijudicat omnia, & ipse à nemine dijudicatur, habet pacem & gaudium conscientiæ in hac uita. Item habet uitam æternam. Matth. 19 1. Cor. 2.

In festo purificationis Mariæ.

Postquàm impleti sunt dies. Lucæ. 2.

1 Purgatio in lege significauit fructum carnis esse impurum.

2 Pro Aegyptiacis primogenitis occisis, accepit dominus primogenita populi. Vbi significatum est, Christum primogenitum fore, qui sit uere sanctus domini.

3 Simeon perhibet testimonium Euangelio, Gala. 4.

4 Fructus Euangelij sunt pax. Nunc dimittis &c. In pace. Item lumen quia tenebræ sunt, ubi non est Euangelion.

Annunciationis Mariæ.

Missus est Angelus &c. Lucæ. 1.

1 Oportuit Christum nasci secundum promissiones,

ex Dauid, ideo hæc sunt indicata. Psal. 88. & 131.

2 Aue gratia plena, habet declarationem in libello à Martino Luthero.

3 Christi regnum, sedes Dauid patris. Et ut regnum intelligatur, sunt repetendi hic loci Prophetarum. Esa. 9. Et Hiere. 23. Saluabitur Iuda, habitabit confidenter, id est, per Christum securi sumus, quanquàm sumus peccatores.

4 Omnia propagata carnali conceptione sunt impura, ideo Christus ex uirgine natus est.

Philippi & Iacobi.

Non turbetur cor uestrum. Iohan. 14.

1. Consolatio contra scandalum crucis &c. Et in me credite, scilicet, quamuis crucifiger. In domo &c. quia multi apud patrem prædestinati sunt ab æterno qui tamen sine me glorificari non possunt. Ergo sunt quædam mansiones. Sed si quo minus. id est, quatenus nõ sunt paratæ, dixeram uel dixi sæpe ante, quod uado mortem mea parare locum. Iohan. 14.

2 Summa. Sine meritis Christi neminem glorificari.

3 Viam scitis, quia in me creditis.

4 Nescimus &c. Credebant Apostoli, non tamen capiebant Christum per mortem esse glorificandum. Imperfecta fides in Apostolis, nobis consolatio est, modo cum fundamento Christo perstemus.

5 Crassa fides in Philippo experiri uult, Respondet Christus

Christus, si non uerbis, tamen operibus credite, quod pater in me &c.

6 Amen &c. Significat se regnaturum in suis, ubi apud patrem glorificatus fuerit.

7 Toto Euangelio fidem exigit Christus, uia, ueritas, uita. Iohannis. 14.

In festo Iohannis Baptistæ

Elizabet impletum est. Lucæ. 1.

1 Lex & Prophetæ qui prædixerunt gratiam orbi uenturam usq; ad Iohannem. Matth. 11.

2 Idcirco hic omnia festiue præluduntur, gaudent, & à gratia dicitur Ioannes. Admirantur omnes &c.

3 Quomodo infidelitas mutum reddiderat, spiritus sanctus prophetam facit.

4 Confessio credentium.

In festo Petri & Pauli.

Venit Iesus in partes Cæsariæ. Matth. 16.

1 Caro & sanguis non nouit Christum esse filium dei uiui, reuelatione spiritus discitur.

2 Ecclesia uera aliam fidem, & aliud fundamentum non nouit. 1. Corinth. 3.

3 Promissio, quod huic fidei non prævalebunt portæ inferorum.

4 De potestate clauium.

In festo uisitationis Mariæ

1 Fides nō potest esse ociosa, sed per charitatem reddit proximo, quod accepit per deum. Gala. 5.

2 Miracula spiritus dei in fœminis.

3 Magnificat. Vide Martinum Lutherum.

In festo Magdalenæ.

Rogabat Iesum &c. Lucæ. 7.

1 Signa hic uides ueræ resipiscentiæ, quæ hypocrisis sunt ubi res non est.

2 hypocritæ talibus iusticiam tribuunt. Sed Christus dicit: Fides tua te saluam fecit. Item, dilexit multū.

3 Item collatio pharisæi & meretricis.

In festo sancti Iacobi.

Accessit ad Iesum mater &c. Matth. 20.

1 Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt. sua quærunt, gloriam mundi. Roma. 8.

2 Carne sine cruce uult glorificari.

3 Gloria carnis & dei diuersa est.

Inuentionis Sancti Stephani.

Vos estis sal terræ. Matthæi. 5. cap.

1 Non solum Euangelij doctores, sed & omnium uere Christianorum doctrina & uita, sal terræ & lux mundi est.

2 Sal infatuatus, scilicet, docentes doctrinas & mandata hominum, & superstitiosum dei cultum sequen-

tes. Esaiæ. 19. Matthæi. 15.

3 Lucerna sub modio. Timor humanus, non audens prædicare ueritatem quam credit.

4 Lex debet integre & prædicari et seruari, id est, secundum radicem cordis.

5 Pharisæi & sentiunt & docent, peccata operis externi esse contra legem, Non Peccata cordis, aut saltem minima esse, & nullius reputationis, propterea in Christi regno sunt minimi, id est, nulli.

Assumptionis Mariæ.

Intrauit Iesus in quoddam castellum. Lu. 10.

1 Maria est populus gratiæ. Martha est populus legis siue operum.

2 Martha gloriatur, & Mariam condēnat, Christus Mariæ partē dicit necessariam, & bonam, & æternam.

3 Nihil enim habet cōmentum de duplici uita, actiua, & contemplatiua. ut ocioſi monachi finxerunt.

Exaltatio Crucis.

Nunc iudicium est mundi. Ioan. 12.

1 Credendum Euangelio dum licet, post paululum non licebit.

2 Christus suo regno, mortis regnum destruxit.

3 Sequitur excæcatio horrenda post Euangelion cō temptum. Exemplo sunt Iudæi. Exemplo sunt et nostri. Vide sermonem Martini Lutheri, dominicæ. 23. Matth. 18.

Decollationis Iohannis Baptistæ.

Misit Herodes. Marci. 6. cap.

1 Euangelion continet exemplum crassæ & cõtem ptricis impietatis.

2 Herodes scit se nequiter agere, Et pergit tamen, sic non est timor dei in carne.

3 Ratio prætexit iusiurandum. Tales sunt omnes ho mines destituti luce dei.

Matthæi Apostoli.

Vidit hominem sedentem &c. Matth. 9.

1 Fides Matthæi.

2 Charitas Christi,

3 Collatio peccatorum & phariſæorum, Et de u triſq; iudicium Christi.

4 Increpatio scribarum, quod ignorent quid sit, misericordiam uolo, & non sacrificiũ. Oseæ. 6. Matt. 9.

5 Tunc seruis deo, quando seruis proximo, peccatori, ignoranti, ægroto, pauperi. Hæc autem ignorant phariſæi, quia non sunt opera papistica ad lucrum & gloriam.

In die Michaelis.

Accesserunt ad Iesum &c. Matth. 18.

1 Mundus carnaliter sentit de regno Christi, ideo cultum dei fingit carnalem & mundanum.

2 Is Christianus est, qui sentit hoc in se quod Christus. Philippen. secundo.

3 Quod oporteat peccatores, infirmos, ignorantes suscipere. De scandalo. Roma. 14.

4 Scriptura testatur angelos bonos tantum electis seruire, ut hic & psalmo. Angelis suis mandauit de te &c. Psal. 90. Item Hebræorum primo.

De omnibus Sanctis.

Vide in communi sanctorum infra. Videns Iesus turbas. &c.

Commune sanctorum.

De Apostolis.

Hoc est præceptum meum &c. Ioan. 15.

1 Post fidem nihil exigitur, quàm charitas

2 Hoc nouum præceptum est, quod affectum cordis requirit non hypocrisim, non tantum res, sed etiam animas, ut exponamus pro fratribus gratis, exemplo Christi, qui gratis nos elegit, nos fecit amicos, pro nobis mortuus est. Hæc una lex, omnia nostra mortificat.

Hæc mando uobis &c. Iohan. xvi.

1 Insignis consolatio contra odium mundi.

2 Mundus propter uerbũ Euangelij non potest nos non odisse, quia pater ei per spiritum non reuelatur.

3 Idcirco Euangelium non fuit, id quod tanta pompa ecclesiastica uiguit, nunc sordet.

Ego sum uitis uera, Iohan. v.

1 Clara uerba contra liberum arbitrium, humanas uires, & reliquam fæcem papisticam nihil esse.

Sermonem Christi creditum mundificare. Quid ergo traditiones humanæ?

De uno Martyre.

Si quis uult post me uenire. Matth. 16.

1 *Fidei opus mortificatio nostri, donec omnia quæ Adæ sunt, intereant, & perficiatur regeneratio.*

Nisi granum frumenti &c. Ioan. 12.

Idem est in hoc Euangelio, quod & in superiori.

De pluribus Martyribus.

In festo omnium Sanctorum.

Videns Iesus turbas &c. Matth. 5.

1 *Vides hic beatitudinem longe aliud esse quàm mundus somniat. Hæc est stultitia prædicationis, per quam placuit deo saluos facere credentes. 1. Corinth. 1.*

2 *Christiani hæc omnia habent, atq; hæc beatitudinum prædicatio, magnæ nobis est consolationi.*

3 *Non enim prædicantur magna merita habentes, sed qui nihil meritorum, nihil iusticiæ, nihil unde glorientur in se inueniunt, beati prædicantur.*

4 *Sunt enim Christiani pauperes spiritu, sitientes iusticiæ. Mites, scilicet, omnibus cedentes, & se inferiores iudicantes, lugentes, quos sequuntur fructus, ut sint misericordes, mundo corde, pacifici, & propterea coram mundo maledicti.*

In profesto omnium Sanctorum.

Descendens Iesus de monte. Lucæ. 6.

1 Sanat turbas. Matth. 4. in fine, id quod scribit Lucas in loco campestri. Quod autem sequitur in Luca, Et eleuatis &c. factum narratur, non locus. Necesse est enim, ut intelligas dominum, post sanationem infirmorum rursum ascendisse montem, & illic eleuatis in discipulos oculis dixisse, quod Matthæus aperte dicit capite 5. Et Lucas discipulorum hic non turbæ facit mentionē, sicut & Matthæus.

Cum audieritis prælia &c. Lucæ. xxi.

1 In terroribus & opinionibus bellorum, non esse deserendum Euangelion.

2 Euangelij negocium curandum, quicquid uero mundus minatur, relinquendum domino.

3 Capillus de capite uestro non peribit, hora uestra in manu patris est, quicquid continget uobis, Bona uoluntas dei patris erga uos est. Matth. 10.

4 Non sperandum, ut sine persecutione promoueatur Euangelium.

Attendite a fermento pha. Lucæ. xij.

1 Pharisæi fermento hypocriseos omnia corruperunt, docentes doctrinas hominum & dæmoniorum.

2 Insipientia eorum nota erit, cum innotescet iustitia in doctrina Apostolorum.

3 Reliqua ut in superiori Euangelio, quod solus deus timendus, alia relinquenda deo.

Sint lumbi uestri præcincti. Lu. 12.

1 Alludit ad seruos qui in illa regione longas portant uestes, quas ad iter præcingunt.

2 Lumbos præcingimus, quando omnia quæ carnis sunt abnegamus per fidem.

3 Lucernas gerimus ardentes in manibus, dum præcedimus proximis, doctrina lucis & operibus bonis per charitatem.

4 De eo quod simus semper uigilantes, id est, credentes, & uerbum dei mordicus tenentes, quod sine fructu non erit.

Nemo accendit lucernam. Lucæ. xi.

1 Quod boni in nobis est, alijs seruire debet, datur enim manifestatio spiritus ad utilitatē aliorum. 1. Cor. 12.

2 Cordis intentio siue fides et infidelitas, discernūt coram deo opera lucis & tenebrarum.

3 Caro speciem sanctitatis pro lucc accipit, quæ coram deo est hypocrisis & tenebræ.

Nobilis quidam abijt &c. Lucæ. xix.

1 Vocatis &c. Sine uocatione ne prædica. Heb. 5.

2 Si es uocatus prædicator, pecuniam domini expende ad usuram, non admisce tuam.

3 Habet, qui utitur dono dei in salutem fratri, illi augetur gratia. Non habet, qui non utitur dono acce-

pto, illi auferetur, & tandem excæcatur, ut non uideat, quæ ante uidebat.

4 Hic condemnantur merita humana, seruii pecuniam à domino accipiunt, & dominus, quia fideles fuerant, pecuniam eis dat cum lucro, & insuper ciuitates, ola gratia.

Vigilate quia nescitis. Matthæi. xxiiij.

1 De uigilatione supra.

2 Seruus fidelis, in Euangelijs proximis.

3 Cibum id est, uerbum dei. In tempore, id est, nulla negligentia.

De uirginibus.

Simile est regnum cœlorum &c. Matth. 13.

1 Thesaurus & margarita, est Euangelion, quod absconditum est à carne. Inuenitur autem fidei spiritu, quæ fides ob id renunciat omnibus, ut uere possidere possit. Matthæi. 16.

2 Nondum discreti sunt hypocritæ à pijs corã mundo, id quod fiet in nouissimo die, interim gloriantur se esse bonos Christianos.

3 Doctor non qui aliud habens quàm dei uerbum, is doctus est ad regnum cœlorum, profert nõ ex libro, sed ex Thesauro cordis sui, legem & Euangelion.

In officio defunctorum.

Dixit Martha ad Iesum. Ioan. 11.

1 Fides in Martha non minor quàm in Petro.

2 Ego sum resurrectio & uita, Hæc est copiosa Euangelij prædicatio.

Quia uenit hora & nunc est &c. Ioan. v.

1 Infideles sola uoce Christi reuiuiscũt, id est, Euangelio.

2 Quibusdam Christus dat uitam, & deus pater quosdam iudicat sed suo tempore.

Psal. 32. 3 Quod alij Euangelistæ tubam uocant, Ioannes uocem filij dei dicit, Illius enim uerbo suscitantur omnes in nouissimo die, cuius uerbo omnia condita sunt.

Sicut pater suscitat mortuos. Ioannis. 5.

1 Christi & patris eadem est potentia in saluando, & iudicando.

2 Vtriusq; idem est honor.

3 Eadem fide creditur in patrem & filium.

4 Habet uitam æternam, Nota, iam habet. Qui non credit, iam iudicatus est. Nota, iam in præsenti.

Omne quod dat mihi pater. Ioannis, 6.

1 Quos dat pater ueniunt ad filium, siue quos trahit pater, Contra liberum arbitrium.

2 Si offendit prædestinatio, cogita tibi præceptum esse, ut credas in Christum, non ut scias prædestinationem.

Ego sum panis uiuus &c.

Ioannis .6.

1 Caro non capit sacra mysteria Christi .1.Cor.2.

2 Solus Petrus dicit, Ad quem ibimus, uerba uitæ æternæ habes Petrus est cui pater reuelat Matth.16.

In dedicatione templi.

Ingressus perambulabat Hiericho. Lucæ 19.

1 Etiam Camelum, id est, diuitem intrare per foramen acus, sed per Christum resipiscentem.

2 Resipiscit qui uocem domini uenientis audit, & suscipit.

3 Huic mundus aduersatur, in primis hypocritica sanctitas.

4 Ecce dimidium bonorum meorum, est fructus resipiscentiæ, noua uita.

5 Filios esse Abrahæ, quotquot credentes Christum suscipiunt, ex Paulo Gala.3,

6 Statura pusillus est, qui in se nõ inuenit, quo Christum uideat.

Euangelia Feriarum Quadragesimæ.

In die Cinerum.

Cum ieiunatis. Matth.6.

1 Hypocritarum opera damnat, quæ non fiunt ex fide. Nam quærunt sua, id est, corde respiciunt terram

ubi habent thesaurum suum, id est, quod quærunt.

2 In omni opere, simplici oculo aspiciendum ad deum, hoc est, thesaurum habere in cœlis.

3 Vnge caput tuum, & faciem laua, id est, lætus appareas hominibus. more terræ Palestinæ loquitur, sicut alibi, Oleo caput meum non unxisti. Id quod hodie significat papistis, accipere cineres. Lucæ. 7. Ironia.

4 Scriptura solum contra hypocrisin destinata est. Nam crassa ista uitia, etiam mundus damnat.

5 Factum non est lex, Et ieiunium Christi miraculi fuit, sicut ambulare super mare. Oportet hypocritas errare, non solum in imitatione sanctorum, sed etiam in imitatione (ut putabant) ipsius Christi.

Feria quinta post Cinerum,

Cum introisset Capernaum. Matth. 8.

1 Iacet &c. Fides uera necessitatem proponit deo, modum liberationis non præscribit, sed deo committit. Sic supra leprosus.

2 Fides uera soli Christo tribuit sanitatem, id est, iusticiam, non carnis præsentiam requirit, sentit regnum Christi esse in spiritu, non in elementis mundi huius. Ioan. 18.

3 In Israel &c. Ne apostoli quidem tantam fidem habebant, quibus in fine dixit, expedit uobis ut ego uadam, alioquin paracletus non ueniet. &c. Videt paracletum negari ijs, qui in externo Christi cultu hærent. Ioan. 16.

4 De susceptis gentibus, id est peccatoribus. Et re- Roma. 11.

Sexta feria post Cinerum.

Audistis quid dictum sit. Matthæi. 8.

1 *Christianam dilectionem non esse, si non ex corde diligas etiam inimicum. Hoc natura non habet, sed fidei spiritus præstabit.*

2 *Dictum est &c. id est, Sic prædicatum ante, finxerat enim hoc sophistica traditio. Deut. 7. & 12. contra legem Leuit. 19. Non quæras ultionem &c. Diliges amicum, ubi legendum est proximum. Et quæ Prouer. 25. Si esurierit &c.*

3 *De hypocritarum iusticia. Vides supra de ieiunio.*

Sabbato post Cinerum.

Cum sero esset factum &c. Mar. 6. cap.

1 *Tentatio fidei. 1. Petri. 1. In quo exultabis &c.*

2 *In tentatione absens esse, & dereliquisse uidetur Christus. Idcirco laboratur, ita ut ne rediens quidem putetur adesse.*

3 *Hæc omnia egregie ignoramus, quæ antea credere uidebamur, ut non simus confidentes nobis. 2. Cor. 1.*

4 *Quotquot tangunt fide Christum, sanari, exemplum mulieris fluxu sanguinis laborantis:*

Feria secunda post Inuocauit.

Cum uenerit filius hominis. Matth. 25.

1 *In extremo iudicio nõ requiret Christus opera pa*

pistica, quæ ignorat, sed opera charitatis in proximum, & hæc ipsa ex fide.

2 Atq; hæc ipsa opera ex fide iudicabit, Mihi, inquit, feciſtis.

3 Scriptura de iudicio operum loquitur, nam aliter iudicium dei non poteſt deſcribere, quia corda uidere non poſſumus, ſicut ferè ubiq; ſcriptura ſeſe noſtræ intelligentiæ, ut paruulis accommodat.

4 Hos benedictos à patre uocat, id eſt, fideles. Illos maledictos, id eſt, infideles.

5 Fideles ignorant ſua bona opera, licet omnia faciant. Infideles excuſant, quod nunquam habuerint occaſionem benefaciendi.

Feria tertia poſt Inuocauit.

Cum intraſſet Ieſus Hieruſalem &c. Matth. 21.

1 Conturbantur impij ad aduentum Chriſti ſaluatoris. In primis Hieroſolimitæ, id eſt, qui præ cæteris ſanctitatem ſibi uendicant, hoc eſt, hypocritæ, Chriſti aduentum ſimulant ſe diligere.

2 Electis nundinationibus papiſticis recipit & ſanat in eccleſia ſua cæcos & claudos, id eſt, peccatores hactenus traditionibus humanis uexatos, ut uidere iuſticiam dei, & incedere in uia iuſticiæ non poſſent.

3 Indignatur phariſæi Oſi anna acclamari Chriſto, id eſt, Euangelion prædicari à paruulis. Ideo illos deſerit. Matth. 11. Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reue-

lasti ea paruulis. Christi gratia, hæc omnia uidemus hodie.

Feria quarta post Inuocauit

Accesserunt ad Iesum turbæ. Matth. 12.

1 Signum Ionæ factum. Non est aliud expectandum, Impij nanq; quottidiana signa negligunt, de quibus dicitur. Si moſen & Prophetas nõ audiunt. Lu. 16. Ioan. 15.

2 Grauius iudicium est illis, qui audierunt Euangelion & contempserunt. Verendum, ne hodie auditu Euangelij, deus uelit nos grauius damnare. Orandum ergo &c.

3 Carnis fiduciam abijcit Christus, & non respicit, ne in matre quidem aut sanctis, ut tandem obstruantur ora hypocritis & superstitiosis.

Feria quinta post Inuocauit.

Si manseritis in meo sermone. Ioan. 8.

1 Non sunt Christiani, siue discipuli Christi, qui ad tempus credunt, & in tempore tribulationis recedunt.

2 Non intelligunt Euangelij gratiam, qui non manent in uerbo Christi.

3 Nulla libertas spiritus, nisi per ueritatem, id est, Euangeliam Christi.

4 Consolatio seruorum & filiorum.

5 Qui Euangelion non sustinent, ex diabolo sunt.

6 Contra doctrinas & traditiones humanas.

Opera Abrahæ sunt, fides, quæ per dilectionem operatur. Credidit Abraham deo &c. Ergo obediuit eius Gene. 15. Rom. 4.

uerbo Ioannis. 6. Hoc est opus dei, ut credatis &c. Opus diaboli est infidelitas. Genc. 3. quæ producit odiũ.

Féria sexta post Inuocauit.

Post hæc erat dies festus. Ioan. 5.

1 Aqua quinq; porticubus cincta, lex est, quæ non sanat, nisi spiritu mota, sicut quodq; uerbum non sanat sine spiritus motione, Sicut aqua baptismatis sine baptismate spiritus non sanat.

Ioan. 3. 2 Absq; signo aquæ sanat Christus, ut discas in nulla re confidere.

3 Sabbatum est &c. Libertatem prohibent à Christo datam.

4 Grauius iudicium est illis, qui audientes Euangelion contemnunt etiam, ut supra.

Sabbato post Inuocauit.

Assumpsit Iesus Petrum. Matth. 17.

1 Gloria regni Christi hic præostenditur, siue gloria resurrectionis.

2 Lex & prophetæ in Christum consentiunt, & in Christo cessant Moses & Helias &c.

3 Caro uult ante crucem & sine cruce glorificari. Petrus &c.

4 Hic est gratia per Christum Ephe. 1. Dilectos nos reddidit in dilecto filio suo, Sicut Christus non potest nõ esse dilectus, ita nos in Christo.

5 Ipsum audite &c. Autoritas uerbi Christi, omnis doctrina

doctrina non Christi, ad salutem inutilis & noxia.

Feria secunda post Reminiscere.

Ego uado & quæretis me & c. Ioan. 8.

1 Hypocritæ quia uerba Christi ignorant, sed alia uia quærunt salutem, in peccato suo, id est, in infidelitate morientur, quandoquidē Christum, quem ore confitentur, non credunt Christum esse, id est, dei iusticiam. 1. Corinthiorum. 1

2 Vos de deorsum estis & c. Caro est ignorans dei. 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit & c.

3 Principium, qui & loquor uobis & c. Lege principio, uel prorsus id quod loquor uobis, id est, uerbū dei patris loquor, & planè, ego sum illud ipsum uerbum. Ioannis. 1.

4 Multa & c. Euangelium iudicat & damnat omnia nostra, siue omnem hominum iusticiam. Idcirco iustam persequendi rationem putant se habere hypocritæ.

5 Sed qui & c. Vos mea damnatis, sed non sunt mea. Occupatio est.

6 Cum exaltaueritis & c Morte Christi & resurrectione declaratum est Euangelion Christi esse uirtutem dei Roma. 1.

Feria tertia post Reminiscere.

Super cathedram Mosi & c. Matth 23.

1 Super cathedram Mosi sedent, qui docent quæ Moses docuit.

2 Onera grauia sunt lex. Actuum. 15.

3 Hypocritæ nesciunt legem esse cognitionem peccati. Roma. 7. & urgere in Christum. Gala. 3.

4 Collatio fastus hypocritarum, & Christianorũ modestiæ, illius plena sunt hodie omnia, sed tecta specie sanctitatis & sapientiæ. Vide in Euangelio sequenti, magistrorum nostrorum fastum, clericorum sanctitatem. Item facta superstitiosorum.

Feria quarta post Reminiscere.

Ascendens Iesus Hiero. &c. Matth. 20. cap.

1 Viam ad gloriam ostendit, & simul eos consolatur contra scandalum crucis.

2 Caro non intelligit gloriam dei, sed uult carnaliter glorificari, & de Christo gloriari.

3 Non erit ita inter uos &c. Gentes sunt, qui dominari quærunt.

Feria quinta post Reminiscere.

Non possum ego ex me &c. Ioan. 5.

1 Non possum, pudeant liberi arbitrij assertores.

2 Opus Christi. Iudicium & uerbum esse dei.

3 Neq; uocem &c. Contra legem uidetur dicere, sed nemo intelligit uerbum uisi per Christum, & Christi spiritu. Ioan. 1. Deum nemo uidit unquam, & pater testificatur de Euangelio &c.

4 Scripturæ scrutãdæ, sunt, Illæ testificantur de Chri

sto & iudicant siue accusant, & damnant omnes Christo non credentes.

5 Qui gloriam ab hominibus quærunt, & titulos uanitatis diligunt, Christi Euangelion nunquã intelligent. Quomodo, inquit, potestis credere? Esaiæ. 66.

6 Argumentum sic intellige, Si Mosi, in quo speratis, non creditis, nequaquam meis uerbis credetis, quem & contemnitis, & impium iudicatis,

Feria sexta post Reminiscere.

Homo pater familias plantauit uineam. Matth. 21.

1 De uinea Esa. 5. Omnia parauerat deus, quæ ad uineam Iudaicam pertinebant, ut uideas nostras præparationes esse nihil. Quæsiuit per suos prophetas, & prædicatores, & tandem per Christum fructum fidei, sed mala arbor non profert fructum bonum, labruscæ non uuæ producuntur, ubi contẽnitur uerbũ dei. Mat. 7.

2 Hic est hæres &c. Durum uerbum contra Iudæos, quod uidentur cũ intellexisse esse Christum, & hæredẽ Iudaici regni. Esa. 9. Super soliũ Dauid &c. Lu. 1. Dabit illi &c. Sed quia ipsorum omnia damnabat, & ipsorum gloriæ & lucro per Euangelion decessit, excæcati sunt. Deinde eum uidere non potuerunt. 1. Cor. 2. Si cognouissent &c. Act. 3. Scio quod per ignorantiam &c. Videant hic nostri, qui suæ gloriæ & lucro timent, propter Euangelion. Spiritus dicit, Atollite portas &c. Psal. 23.

Sabbato post Reminiscere.

1 Collatio peccatorum ex sola gratia susceptorum, & populi legis stulte in operibus legis gloriantis.

2 Decedit à deo & turpiter sua perdit, qui acceptis dei donis, sanitate corporis, pulchritudine, diuitijs, ratione &c. contra datorem abuttiur. Is famem patitur quando reuelatur peccatum, & conscientia cœperit urgere, tunc siliquis, id est, doctrinis dæmoniorum, & traditionibus humanis quærit liberari. Non saturatur, sed deterius habet, adhuc est in regione tenebrarũ, donec ad panes patris reuertitur.

3 Non nostrum est, quod reuertimur. Cum adhuc inquit, longe esset &c. Hiere. 15.

4 Hic obliuiscitur dicere quod præinstituerat. Fac me sicut unum ex mercenarijs &c. Qui uere à patre intus suscipitur ut filius, non cupit esse mercenarius sed omnia conscientia misera, promittebat ante se fãcturum, nescio quæ, sicut fit. Tunc enim uere cognoscit omnia ex gratia sibi offerri, & nullo merito. Mercenarij sunt iusticiarij.

5 Cito proferte &c. Nihil tardat pater. Stola prima, id est, fides, quam perdiderat. Annulus signum fidei, charitatis opera. Calciamenta, cursus in Euangelion prædicandum. Ephe. 6. Vitulus, Christus occisus. Symphonia & chorus, pax & gaudium conscientiæ. Summa, Iudæi hypocritæ. Gentes peccatores.

6 Hypocritæ odio habent dei iustitiam, & condem

nant peccatores, sequentes euangelion, nullo merito susceptos. Insuper hoc sentiunt, sed falso hypocritæ.

7 En tot annis seruio tibi &c. Et nunquam dedisti mihi, quia nunquam uerum gaudium domini in conscientia sentiunt, sed solantur se arrogatione sanctitatis operum, quæ tamen cadat, necesse est, in tẽtatione & morte

Feria secunda post Oculi

Quanta audiuimus facta. Lucæ. 4. capite:

1 Christus ostendit se à gentibus suscipiendũ, & gentes præfert.

2 Hypocrisis non sinit se suaq; condemnari, & uiolentia utitur, ubi se uidet scripturis superari, quos res ipsa declarat, homicidas in corde esse, quam sibi sancti tatem arrogant.

3 Iesus autem &c. Fideles sciunt omnia esse in manu dei, & sciunt mundum furere &c. ante horam nihil facient nostri aduersarij, cum deus uoluerit, quid fugiã?

Feria tertia post Oculi.

Si peccauerit in te frater tuus &c. Matth. 18. cap.

1 Excõmunicatio ecclesiastica, quam hodie ignorãt excommunicati illi excõmunicatores, qui pro suo lucro tradunt animas Satanæ, quas Christus suo sanguine redemit.

2 Quæcunq; alligaueritis. &c. Vides ecclesiæ traditas claues, ne quis contemnet iudicium ecclesiæ, si habeatur pro æthnico & publicano. Timeat hoc quicunq;

post has monitiones excluditur, uel à duobus fidelibus. Nam hodie ecclesiæ publicæ faciem non uidemus, ut liceat nobis isto iure publice uti.

3 Iterum dico uobis &c. Promissio magna ijs, qui consenserint in hac promissione. Ego audeo confiteri fratri peccata mea, & communiter orare cum eo, pro peccato meo, & certus sum, quod dimittitur, quia dicit de omni re, quamcunq; petierit &c. Sed non debeo inde alijs facere præceptum confitendi.

4 Semper iniuria quantacunq;, est condonanda fratri, alioqui non donatur nobis.

Feria quarta post Oculi.

Quare discipuli tui transgrediũtur &c. Matth. 15.

1 Egregius locus contra traditiones hominum.

2 Opera infidelitatis damnat, non res externas, quas creauit deus ad utendũ, cũ gratiarum actione. 1. Tim. 4.

3 Omnis plantatio &c. Omnia præterent, præter dei uerbum.

4 Cæci duces cæcorũ &c. Aduerte quoq; quid dominus quoq; damnet in Esa. quia trepidant & timent quasi deũ, ad has traditiones, dicens. Timuerunt me mãdatis hominum. Esaiæ. 29.

Feria quinta post Oculi.

Operamini cibum &c. Ioan. 6.

1 Cibus Christi, & opus dei, credere in Christum.

2 Caro hunc cibum non intelligit nisi carnaliter.

3 Manna non iustificabat, fides iustificat.

4 Manducas & bibis Christum, dum credis, ut maneas in eo, & ipse in te.

Feria sexta post Oculi.

Venit Iesus in ciuitatem Samariæ. Ioan. 4.

1 Hic Christus describitur fugiens, fatigatus, esuriens, sitiens, ut hac imagine consolemur nos peccatores, quia talem habemus principem.

2 Gentilis et adultera quanta modestia suscipitur et docetur, occasione utcunq; accepta. De fonte uiuo, id est, fide, quæ salit in uitam æternam.

3 Certe phariseus hanc ne uita quidem dignã iudicasset. Vnde ipsa ait Non conuenunt Iudæi Samaritanis &c. Hic gentium uocationem significat, hic se consolentur peccatores, qui se peccatores agnoscunt.

4 De adorando in spiritu &c. Tales pater quærit, ergo carnales adoratores non uult, qui est externus ille & fictus dei cultus.

5 Christus esurit salutẽ peccatorũ, non quærit suã.

6 Prophetæ laborauerunt, credentes promissionibus, nondum exhibito Christo, uerbum dei et semen primi acceperunt. Iam omnia parata sunt, quæ ipsi expectauerunt. Ipsi prædicauerunt uentura, uos exhibetis præsentia.

Sabbato post Oculi.

Perrexit Iesus in montem oliueti. Ioan. 8.

1 Non prohibet Christus plecti adulterium

2 Sed ſuo officio fungens oſtendit omnes eſſe peccatores.

3 Lex exigit pœnam. Euangelion condonat omnia ex corde reſipiſcentibus.

4 Verum, deus ſolum nouit qui ex corde reſipiſcunt Ergo legis miniſtris manet integrum ius gladij, quantũcunq; reſipiſcant peccatores uel malefactores coram deo, niſi ſpiritus in miniſtris legis aliter iudicauerit, ut parcatur illi, cui etiam parcit communitas &c. Hic miniſtri utantur ſua libertate, lex non cogit eos.

Feria ſecunda poſt Letare.

Prope erat Paſcha &c. Ioan. 2.

1 Quid aliud hodie eſt eccleſia, quàm clericorum nundinatio?

2 Cultum dei uocant. 1. Timoth. 4. Eſtimantes quæſtũ pietatem, ſed Chriſtus eos eijcit è regno ſuo.

3 Et hic aliud ſignum non accipiunt, quàm Ionæ prophetæ, ut ſupra.

4 Non credebant &c. Exemplum, ne permittamus nos iudiciis hominum, qui etiam neſcimus quid ſit in homine. 1. Coriuth. 2.

Feria tertia poſt Lætare

Cum iam dimidium feſti. Ioan. 7.

1 Quomodo hic literas &c. Caro non aliã ſapientiã nouit quàm humanam, ſpirituales aũt ſunt theodidacti.

2 Nemo cognoscit Euangelion esse uerum, nisi qui quæsierit obsequi uoluntati patris.

3 Gloriam suam non dei quærit, qui sua prædicat, & docet humana somnia, siue uerbum dei sine spiritu.

4 Hypocritæ simulant legem, & non faciunt, & condemnant libertatem Euangelij.

5 Sicut Iudæi dicunt se scire unde Iesus sit, & non eum esse Christum, Sic & hodie dicunt hypocritæ se scire Euangelion, et tamen Euangelion non iustificare, hoc est, Euangelion non esse Euangelion, & Christũ non esse Christum.

6 Nondum hora &c. ut supra.

Feria Quarta post Oculi.

Præteriens Iesus. Ioannis. 9.

1 Ratio sic argumentatur. Hic patitur, ergo est peccator. Illi omnia bene succedũt, ergo est deo charus, Argumentum amicorum Iob per totum ferè librum.

2 Christus aũt ait, crucẽ imponi nobis ad gloriam dei

3 Donec dies est, id est, donec appareo in mundo per Euangelion. Venit nox, scilicet, dum non apparebo, ubi non prædicabitur, tunc nemo poterit operari opera dei.

4 Luto credo legem significari, quæ indicat cæcitatem, non aufert, donec uerbo Christi lauentur, baptismo spiritus. Nam cæcus, omnes nos significat natura, & à natiuitate carnis cæcos esse, quæ cæcitas cedit in

gloriam dei, dum ex mera gratia nos illuminatos agnoscimus. Aduerte obedientiam cæci &c.

5 Confitetur & prædicat intrepide Christum benefactorem, quis fuerit, unde excommunicatur, et blasphematur eius uerbum.

6 Nos scimus quod Mosi locutus est. &c. Hæc est grauis tentatio, dum ratio uerbo dei, uerbum dei opponit.

7 Tentatio facit, ut propius Christum agnoscamus.

8 In iudicium &c. Matth. 11. Abscondisti hæc à sapientibus &c. Esaiæ. 6.

Feria quinta post Lætare.

Pater meus usque modo operatur &c. Ioan. 5.

1 Quid damnatis meum opus in sabbato? damnate & patrem qui nunquàm operari cessat, pater & filius unius sunt uoluntatis, & eadem operantur.

2 Reliqua in Euangelio pro defunctis.

3 Locus de sabbato.

Feria sexta post Lætare.

Erat quidam languens. Ioan. 11.

1 Mors, & omnia mala inflicta sunt nobis propter peccatum. Roma. 5.

2 Promissus erat Christus, ut à talibus liberaret.

3 Deus uult in nostris malis glorificari. Consolatio resipiscentium.

4 Bona opera facimus, dum crucem nobis à deo impositam, ferimus.

5 Lapidare &c. Infirmitatis Apostolorum exem-

plum, ad nostram consolationem.

6 Nonne duodecim horæ &c. i. tempus mei ministerij non perdurabit? Significat illum esse in luce, & non impingit, qui sequitur suam uocationem, utcunq; impedire nitatur mundus.

7 Vt credatis ergo ut glorificetur &c. Item de cæco nato.

8 Moriamur. Hæc est confidentia nondum tentati.

9 Fides Marthæ, sicut Petri Matthæi. 16.

10 Euangelion. Ego sum resurrectio & uita, qui credit &c. Ista est summa summarum huius historiæ.

11 Infremuit &c. Indignatus aduersus regnum mortis, quod uenerat destructurus.

12 Omnia agit & iubet Christus, quo exerceat fidē duarum sororum & discipulorum.

13 Ego autem &c. Fides semper auditur. Roma. 10.

14 Verbo Christi suscitantur mortui Doctrinæ hominum hic nihil possunt.

Sabbato post Lætare.

Ego sum lux mundi. Ioan. 8.

1 Sine Christo omnia esse tenebras, nihil intelligi, aut recte iudicari sine hac luce. Quid ergo nobis cum traditionibus humanis? Quid cum consuetudine? Quid cum francisco & Augustino? Quid cum iusticijs operum? Mundus in tenebris est, quicquid nostrum est, damnatum est sine Christo.

2 Hypocritæ patrē deum ignorant, quē tamē maxime

uidentur colere, quia Christum dei iusticiã esse non credunt, & si crederc se dicant, tamen mentiuntur, quia factis negant, id est, alia uia quærunt salutem. Titum. 1.

Feria secunda post Iudica.

Adhuc modicum tempus uobiscum sum Ioan. 7:

1 Adhuc, id est, non dum uenit hora mea, ut me capiatis. Consolatio, quod ante horam à deo constitutam nihil fit nobis. Vbi uero uenerit, certi sumus, quod hæc contingunt nobis, bona patris uoluntate.

2 Hypocritæ uerba Christi ignorant. Contrà Ioan. 14. uiam scitis &c.

3 Euangelion, si quis sitit, ueniat ad me & bibat: Qui credit &c. Si quis sitit iusticiam, si quis in se non inuenit iusticiam. Consolatio maxima peccatoribus:

Feria tertia post Iudica.

Ambulabat Iesus in Galilea. Ioan. 7

1 Fuga Christi. ne temere nos cõmittamus & obijciamus morti, dum non opus est, ne cadamus. Cæterum uocatio dabit occasionem, quando ueniet hora nostra.

2 Fratres sunt consanguinei & ciues eius. Ioan. 1. sui eum non receperunt.

3 Vides hic carnis nullam prærogatiuam

4 Tempus meum &c. Vos uultis glorificari in carne mea, & mundi quæritis gloriã, ad quod semper tempus habetis in mundo, ego non possum ante tempus glorificari.

5 Quidã dicebant &c. Natura Euangelij ista parit.

Feria quarta post Iudica.

Facta sunt Encænia. Ioannis. 10.

1 Encænia, dedicatio ex institutione Machabæorũ, non ex lege.

2 Loquor &c. Verbo meo non creditis, quia nõ uc ni terrenus rex, qualem Meßiam speratis.

3 Deus testificatur per opera de Christo, & adhuc testificatur in corde. Roma. 8.

4 Euangelion, Oues meæ uocem meam audiunt. Sin gula uerba sunt tractatu digna. Ioannis. 6.

5 Consolatio maxima. Oues Christi perire non pos sunt.

6 Locus de diuinitate Christi.

Feria quinta post Iudica.

Cum audisset quidam de turba. Ioan. 7.

1 Natura Euangelij facit dissensionem. Num à Gali læa &c. Etiam scriptura producitur contra Christum tanta obstant ne credatur.

2 Nunquam sic &c. Tam potens est dei uerbum & efficax, ut etiam increduli fulgore huius lucis terrean= tur. Sicut & hodie (Christo gratia) uidemus.

3 Nunquid ex principibus &c. Testimonium sibi suæ reddant cæcitatis. Sua enim sapientia perierunt, dum uulgus stultum iudicant esse.

4 Nicodemus, testimonio est contra illos, etiam ex

principibus quosdam credidisse. Ioannis. 3. & 12.

Feria sexta post Iudica.

Collegerunt pontifices. Ioan. 11.

1 Hoc consilium quoq; est in concilio congregatis. Timemus perdere populum, honorem, pecuniam, scilicet, si prædicabitur Euangelion, sic omnes credent.

2 Prophetia Caiphæ.

3 Iam destinata est malicia in mortem Christi, audito Caipha, quod iam penitus occupauerit corda eorum Sathan, sicut de iuda legis.

4 Non palam &c. Noluit se obijcere morti ante horam, ut supra. Lucæ. 22.

Sabbato post Iudica.

Et in profesto Ascensionis.

Pater uenit hora &c. Ioan. 17.

1 Venit hora, scilicet, ut glorificer per mortem, & redimam quos mihi dedisti.

2 Clarifica, sāliæt resurrectione, Clarificat resurrectione per orbem.

3 Euangelion, hæc est uita æterna, quid ergo opus est alia cognitione? Roma. 1.

4 Priusquām mundus &c. Ad prædestinationē pertinet, sic & nos. Ephe. 1.

5 Manifestaui &c. Exponit quod dixerat, clarificaui te &c.

6 Christiani non sunt mundus, Sed tamen in mundo,

id est, periculo, ergo opus habemus pontifice Christo, qui intercedat apud patrem, sicut hic facit.

7 Sanctifica eos, id est, tuos. Segrega eos tibi in veritate, id est, in uerbo. 1. Timo. 2.

8 Non pro eis autem rogo &c. De nobis prædixit, & orauit patrem.

9 Vt omnes unum sint &c. Gratia Euangelica hæc est, quam mundus capere non potest. Est enim opus dei patris hæc unitas.

FINIS.

EPITOME RENOVATAE ECCLESIASTICAE DOCTRINAE AD ILL. PRIN. HESSORVM.

PHIL. MELANCH.

Argentorati Anno

M. D. xxiiij.